

ritas imperat, et ab ea ut imperante procedit aliquis actus, tunc enim dicit, quod etiam ille actus pertinet ad aliam specialem virtutem; ergo etiam ad aliam specialem bonitatem; ergo stante imperio, et fine superioris virtutis, et participatione honestatis ipsius, stat etiam participatio bonitatis alterius virtutis sub illa contentæ. Imo hæc est generalis doctrina D. Thomæ in modo quo charitas est forma virtutum, scilicet imperando, et ordinando illas in suum finem scilicet, ut forma effectiva quæ imperat actus aliarum virtutum, quatenus ex appetitu finis ultimi concipit actus aliarum virtutum imperando ipsos, ut inquit sanctus doctor 2-2, quæst. XXIII, articulo VIII. Ergo ex imperio charitatis non destruit propria virtutum honestas, sed augetur.

XXIX. Denique expresse S. Thomas in hac quæstione XVIII, articulo VII ad primum, docet: « Quod actus qui secundum substantiam suam est in una specie naturæ, secundum conditiones morales supervenientes ad duas species referri potest. » Nec distinguit ibi de actu malo vel bono, interno vel externo, sed cuicumque actui id assignat. Imo aliquando D. Thomas docens, quod actus unius virtutis ordinari potest ad finem alterius, et sic participare ejus speciem, exemplum subjicit de actu peccaminoso, quia pariformiter censet verificari hæc in actibus honestis, et in actibus malis. Verba ejus sunt 2-2, quæst. LXXXV, articulo III: « Respondeo, inquit, dicendum, quod sicut supra habitum est, quando actus unius virtutis ordinatur ad finem alterius virtutis, participat quodammodo speciem ejus, sicut cum quis furatur ut fornicetur, ipsum furtum accipit quodammodo fornicationis deformitatem. Sic ergo sacrificium est quidam specialis actus laudem ha-

bens ex hoc, quod in divinam reverentiam fit, propter quod ad determinatam virtutem pertinet, scilicet ad religionem. Contingit autem, et ea quæ secundum alias virtutes fiunt, in divinam reverentiam ordinari, et secundum hoc etiam actus aliarum virtutum sacrificia dici possunt. » Ubi eodem modo loquitur D. Thomas de actu vitioso, et honesto quantum ad participandam speciem ex objecto et fine, et tamen dicit quodammodo participare speciem finis, nusquam autem dicit amittere speciem sui objecti.

XXX. In tertio etiam contra gentiles, cap. CXXXVIII, omnino parificat actum vitii, et virtutis in participanda specie sui objecti, et finis: « Contingit, inquit, unum actum duorum vitiorum esse, dum actus unius vitii ad finem alterius vitii ordinatur, ut cum quis furatur ut fornicetur, actus quidem secundum speciem suam est avaritiæ, secundum intentionem vero luxuriæ. Eodem autem modo, et in virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur, sicut cum quis dat sua ut cum altero amicitiam habeat, talis actus quidem ex sua specie est liberalitatis, ex fine autem charitatis. » Ubi S. Thomas eadem paritate loquitur de actu vitioso, et de honesto in participanda duplici specie, ex fine et ex objecto; loquitur autem S. Thomas de actu qui simul utramque speciem habet, quia loquitur de actu, qui ita fit secundum suam speciem, seu objectum, quod simul fit ex intentione finis ad quem ordinatur, intentio autem finis ad quem actus ordinatur, et elicentia ejus circa objectum simul fit. Nec D. Thomas dicit, quod non ita delectabiliter operatur ex una virtute, sicut ex alia, quando procedit ab utraque, sed solum dicit, quod qui facit actum ex charitate et liberalitate, ex castitate et

ex religione laudabilior erit, etiam si remissius operetur ex inferiori virtute imperata, scilicet ex castitate, vel liberalitate, dummodo ex superiori ordinetur et operetur. Quæ doctrina verissima est, quia licet actus procedens a virtute, delectabiliter procedat, tamen non æque inter se utraque virtus semper operatur. Et ita licet remissius se habeat in una virtute, dummodo ab altiori virtute procedat, actus est laudabilior.

XXXI. Fundamentum nostræ sententiæ contra Vazquez est, quia actus habens bonitatem ex objecto non amittit illam ex relatione ad ulteriorem finem bonum; ergo retinet suam. Consequentia est nota. Et antecedens probatur, quia bonitas illa propria talis actus, et ex objecto proveniens non potest destrui, et amitti, nisi per suum oppositum, vel ex defectu alicujus conditionis requisitæ ad talem bonitatem moralem. Etenim bonitas cum consistat in plenitudine, et perfectione, non potest tolli, nisi per defectum aliquem, vel contrarietatem, quæ semper aliquem defectum saltem in altero extremo supponit, nullo enim defectu stante, bonitas seu perfectio integra stat. Et sic si bonitas seu perfectio conveniens actui ex parte objecti est integra, et sine defectu, non est cur illa negetur. Defectus autem destruens bonitatem illam, et speciem actus, non potest esse nisi vel defectus oppositus, et contrarius et bonitati morali, qui defectus est malitia mortalis, vel defectus alicujus conditionis requisitæ ad bonitatem mortalem, sicut indicat Vazquez, quod quia ille actus non fit propter ipsam honestatem virtutis, non fit virtuose, sicut aliquis potest facere justa non juste, si non faciat illa propter amorem justitiæ. Ex neutro autem capite deficit illa bonitas; ergo manet, et non amittitur in illo actu. Probo singula.

XXXII. Quod non amittatur illa bonitas moralis ex objecto deprompta per defectum oppositum patet, quia ibi nulla intervenit malitia, sed potius augmentum bonitatis. Nam (ut suppono) ille actus non habet finem, aut circumstantiam malam, sed solum refertur, et ordinatur in meliorem finem, et ad superiorem virtutem; referri autem ad superiorem virtutem, et meliorem finem non est malum, neque oppositum bonitati virtutis, et finis inferioris. Nec bonum superius ex ratione bonitatis consumit, et destruit inferius bonum, quia bonum bono non est contrarium, sicut nec verum vero. Quin potius virtutes sunt inter se connexæ, nec una destruit aliam, cum tamen una sit melior, et perfectior alia. Nec bonum superius destruit inferius ex eo quod illi subordinatur, et a quo moveri potest, sicut finis non destruit media, neque efficiens effectum, neque cælum elementa, et corpora sibi subjecta: ergo neque virtus imperans virtutes imperatas; quin potius charitas est forma omnium virtutum, quæ illas parit, et fovet, et perficit. Et sic non est simile de una forma substantiali, quæ aliam destruit, et non compatitur cum illa simul in materia, licet utraque sit perfecta, et bona. Dicimus enim, quod una forma substantialis non se habet ut movens, aut imperans alteri, sicut finis ad media, nec ut causa superior imprimens, et communicans aliquid inferiori, ut in præsentem est: sed potius forma substantialis habet impossibilitatem cum alia in eadem materia, licet non contrarietatem, quia esse substantiale quod præbet, hoc ipso quod substantiale est, se habet ut primum, et ut substans aliis. Si autem essent duæ formæ substantiales in eadem materia, utraque daret pri-

num, et substantiale esse, quod repugnat, quia hoc ipso quod aliquid est primum in aliqua re, non compatitur, quod aliud primum detur. Quod non currit in duplici specie morali, quarum una subordinatur alteri, vel utraque uni tertio.

XXXIII. Quod vero bonitas illa specifica, quæ ex objecto desumitur in actu, non destruitur ex defectu alicujus conditionis requisitæ, scilicet, quia hoc ipso quod ordinatur ad ulteriorem finem, non est voluta ratione sui, sed amore alterius, quod est contra rationem virtutis, cujus honestas propter se ipsam debet diligere probatur, quia honestas virtutis non solum invenitur in fine qui est causa, et gratia sui, sed etiam in his quæ ordinantur ad finem. Quod manifeste patet, quia de se, et ex proprio objecto, et specie, virtutes morales versantur circa bonum honestum, et bonitatem habent ex objecto suo ut temperantia, fortitudo, et justitia, neque hoc negat pater Vazquez, quando tales virtutes non ordinantur ad finem alterius. Et de se patet, quia opponuntur oppositis vitiis, ut intemperantiæ, et injustitiæ, quæ habent malitiam moralem: ergo secundum se, et ab objecto suo habent bonitatem moralem, versantur enim circa objectum conforme regulis rationis. At virtutes morales non versantur circa finem, sed circa media, quia sunt habitus electivi, et electio non est finis, sed medii. Unde et a prudentia diriguntur, quæ non præstituit virtutibus finem, sed medium; ergo versantur circa aliquid ordinabile ad finem, ergo circa aliquid quod non appetitur propter honestatem propriam, sed gratia, et amore finis, et propter finis honestatem, et tamen etiam in se honestum est; ergo bene stat, quod aliquid appetatur ut ordinatum ad finem, et gratia finis, et tamen in se honestatem habeat

sufficientem ut actus bonus, etiam ut electivus est talis medii, et talis objecti ut ordinati ad finem, et voluti ratione alterius.

XXXIV. Non video posse oppositam sententiam huic rationi respondere, nisi dicendo quod virtus potest habere bonitatem ab objecto, seu medio quod eligit, etiamsi ordinetur ad finem proprium, et intrinsecum talis medii, non tamen si ordinetur ad finem extrinsecum, et a quo per se non dependet talis virtus, verbi gratia, si jejunium ordinetur ad religionem, a qua per se non dependet; tunc enim illa bonitas extranea non relinquit bonitatem propriam, quam tamen proprius ille finis relinquit, a quo per se pendet honestas jejunii, scilicet, quod sit propter beatitudinem, aut bonum rationis ut sic.

XXXV. Sed contra est, quia bonitas extranea finis, ideo tollit propriam speciem virtutis, quia tunc illud objectum non diligitur propter propriam honestatem, et amorem sui, sed amore alterius, et sic illa honestas ratione cujus operatur, est quæ virtuosum reddit actum, hoc enim solum est, quod potest impedire, ne honestas objecti proprii det speciem actui, et in eo inveniat; alias enim honestas finis extrinseci non opponitur honestati ex objecto ut illam impedire possit in ipso actu, aut destruere. Sed etiam quando actus virtutis non respicit finem extrinsecum, sed proprium et per se non diligitur illa honestas objecti proximi ratione sui, sed amore, et gratia finis: ergo eadem ratio militat, ut dicatur tunc non habere propriam honestatem, sed speciem bonitatis ex fine. Unde sequitur, quod virtutes morales infusæ, quæ habent pro intrinseco, et proprio fine ipsum Deum supernaturaliter dilectum per charitatem, non habent speciem proprii objecti, sed

solum speciem charitatis. Et sic frustra distinguuntur istæ virtutes inter se specificæ, si nullam speciem diversam habent ex objectis suis, sed unam, et eandem, quæ est ex fine. In virtutibus autem acquisitis etiam finis proprius, et intrinsecus earum, qui est naturalis beatitudo, et bonum rationis dabit honestatem, et speciem ipsis, non autem ex propriis objectis speciales bonitates obtinebunt. Quod si semel habent ex objectis propriis bonitates suas, et similiter participant bonitatem ex fine proprio, non obstante quod ista bonitas objecti de se ordinatur ad finem, nec diligitur propter se; cur etiam quando virtus illa elicit actum propter finem extrinsecum et bonum non retinebit bonitatem suam ex objecto, non obstante quod diligatur propter illum finem?

XXXVI. Denique confirmatur hæc pars, quia quando aliquis actus virtutis, verbi gratia, temperantiæ fit propter religionem, aut imperatur ab alia simili virtute, talis actus procedit elicitive a virtute inferiori, et solum imperative a superiori: habet etiam meritum non solum correspondens charitati, verbi gratia imperanti, sed etiam virtuti elicitive, verbi gratia temperantiæ, sive illud præmium ei collatum intuitu talis virtutis sit accidentale, sive essenziale. Ergo necesse est, quod talis actus participet duplicem speciem, et duplicem bonitatem tum objecti, tum finis imperantis. Consequentia probatur, quia impossibile est, actum procedere, et elici ab aliqua virtute, nisi talis actus contineatur sub ratione formali illius, nec enim potest virtus aliqua operari extra suos terminos específicos, et illos excedere, sic enim excederet suam essentiam, aut sine ratione formali operaretur, et utrumque impossibile est. Ergo si elicitur

a virtute inferiori, et imperata, utique ab illa debet participare honestatem, et bonitatem aliquam, quia sub ratione illa formali bonitatis, et honestatis propriæ producitur ille actus, nec potest procedere ab aliquo principio, nisi ei communicatur ipsa propria honestas, et bonitas talis principii. Similiter si actus ille habet meritum etiam pro ea parte, qua procedit a virtute inferiori, eique datur præmium, consequenter aliquam habet bonitatem moralem, si quidem meritum est propria passio actus boni moralis, sicut et demeritum mali.

XXXVII. Antecedens quoad primam partem probatur, quia quando actus procedit ab una virtute imperata et inferiori, ab alia autem imperante et superiori, non procedit elicitive ab utraque, cum aliquando virtus imperans sit in una potentia, et imperata in alia, ut cum charitas existens in voluntate imperat fidem, quæ est in intellectu, tunc non potest actus elici ab utraque potentia, sed ab altera tantum. Et quando utraque virtus est in eadem potentia, tamen actus non elicitur a virtute imperante, sic enim non esset imperans, sed eliciens, et physice immediate producens, essetque actus ille in specie virtutis imperantis, verbi gratia charitatis quando imperatur actus temperantiæ; ergo elicitur a virtute imperata effective; ergo ab ea participat bonitatem, et honestatem. Quoad secundam vero partem probatur, quia quando quis operatur actum jejunii, aut eleemosynæ, aut sacrificii ex charitate meretur aliquod præmium, eique confertur in alia vita, non solum ratione charitatis, sed etiam ratione propriæ virtutis, dicitur enim Matth. xxv: *Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.* Et propter illud opus misericordiæ redditur in præmium regnum cœ-

lorum. Similiter propter virginitatem servatam promittitur præmium, et custodienti sabbatum, Isai. LVI. Et passim aliis bonis operibus promittitur præmium in Scriptura, non solum quia charitatis sunt, sed quia talia, puta misericordiæ, castitatis, religionis, etc. Et ex hoc etiam quod ab istis diversis virtutibus habentur diversa merita, et diversa præmia cæteris paribus, id est, eadem existente charitate, plus enim meretur, qui in meliori virtute magis se exercet. Ergo oportet, quod actus habeat diversam bonitatem, et honestatem a virtute imperata, a qua procedit, et non solum a virtute imperante, si quidem habet diversum meritum, et præmium.

XXXVIII. Nec dici potest meritum totum esse a charitate, non vero a virtute morali imperata, imo potest actus a minori virtute procedere, et æquale, vel majus meritum habere, sicut vidua quæ misit duo æra minuta, plus meruit multis dantibus abundantes eleemosynas, et de Abraham dicit Augustinus in libro de bono conjugali, cap. XIX: « Quod æquiparatur in nuptiis cum cœlibatu novæ legis. » Vel secundo dici potest, quod quando est præstantior virtus illa, quæ imperatur, et elicit actum, non ideo est majus meritum in actu, quia majorem bonitatem ab illa habeat, sed quia charitatis impressio ibi magis relucet, utpote cum sit aptius medium ad finem charitatis.

XXXIX. Sed contra primum est, quia præstantior virtus existente æquali charitate præstantiorem effectum causare potest in suo genere; ergo actus potest esse præstantioris perfectionis, et meriti. Unde magis consuli potest, quod aliquis exerceat se in virtute præstantiori, quam in inferiori, quod non esset si omnes essent æqualis meriti, existente eadem charitate. Quod si non sit

æqualis charitas, sed major in eo qui facit actum inferioris virtutis, non mirum quod meritum sit majus, sicut fortasse contigit in illa vidua paupere, præsertim quia non de superfluo erogavit, sed totum victum suum dedit. Et Abraham dicitur in nuptiis æquasse virginitatem quantum ad præparationem animi, quia paratus erat eam servare, si sibi juberetur a Deo non quantum ad ipsam formalem operationem, et executionem, licet ex parte charitatis, qua imperavit opus nuptiarum multorum virginitatem potuerit superare.

XL. Contra secundum est, quia si actus præstantioris virtutis est aptius medium ad finem charitatis, et ideo præstantius meritum efficit; ergo communicat actui majorem, et distinctam bonitatem specialem, si quidem hoc ipsum quod est esse aptius medium ad illum finem, aliquid bonitatis est, quæ in alio medio minus apto non est, et illa major aptitudo non est solum bonitas naturalis entitatis, sed moralis, quia est bonum rationis, et secundum regulationem rationis, et constat, quia una ex circumstantiis moralibus est, quibus auxiliis, seu quibus mediis aliquid sit, ergo imperium charitatis non tollit quod sit aptius medium, et melior circumstantia sui, neque tollet, quod habeat suam majorem bonitatem moralem, cum aptitudo illa bonitas quædam moralis sit, ergo si non destruit majorem aptitudinem, neque etiam meliorem bonitatem.

XLI. Dico tertio: Inter duas bonitates actus, altera proveniente ab objecto, altera a fine operantis, illa quæ est ab objecto est essentialis, et primaria substantialiter, et constitutive etiam in actu interno electionis, et elicito a voluntate: quæ vero est ex fine operantis est circumstantia, sed tamen inter circumstantias pri-

maria est, et in ratione moventis principalior, quam bonitas specifica actus, quæ illi subordinatur ut fini. Hæc etiam est contra Vazquez ubi supra, sed in doctrina D. Thomæ expressa, qui docet in hac quæstione XVIII, artic. II: « Quod primum malum in actionibus est ex objecto: » et art. IV numerans quatuor bonitates in actu dicit: « Quod prima est secundum: genus prout scilicet est actio: alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens: tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam: quarta secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. » Ergo secundum D. Thomam bonitas ex objecto est prior quam illa quæ est ex fine, et essentialis, seu specifica actui. Item in quæstione XIX, artic. II dicit: « Quod bonitas voluntatis ex solo illo dependet quod facit per se bonitatem in actu, scilicet ex objecto. » Ergo bonitas per se specificativa, et essentialis ex objecto desumitur, hæc autem est prima, quia quod essentialis, et specificum est, est prius accidentali, et quasi fundamentum ejus.

XLII. Item infra quæst. LX, artic. I ad tertium inquit: « Quod moralia non habent speciem a finibus ultimis sed a finibus proximis. » Finis autem proximus est objectum operis, finis ultimus est imperans reliquis, et est finis operantis; ergo essentialis bonitas, et specifica in actibus sumitur ab objecto, seu fine proximo, quem etiam dixit D. Thomas supra quæst. I, artic. III ad tertium: « Quod non potest esse nisi unus in actu prout semel egreditur ab agente, licet fines remoti possint esse plures. » Denique S. Thomas supra quæst. VII, artic. III ad tertium loquens de fine quando est circumstantia, et quando non, inquit: « Quod finis qui dat speciem actui

non est circumstantia, sed aliquis finis adjunctus, sicut quod fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis non est circumstantia, sed si fortiter agat propter liberationem civitatis, vel populi Christiani, vel aliquid hujusmodi. » Sentit ergo D. Thomas quod finis adjunctus non dat speciem essentialem, quia se habet ut circumstantia, quando autem non se habet ut finis adjunctus, sed ut intrinsecus, et qui est finis proximus ipsius actus, sicut qui fortiter agit propter bonum ipsius fortitudinis, hoc enim pertinet ad finem proximum, seu objectum. Finis enim remotus semper est finis adjunctus. Ergo sentit D. Thomas a fine proximo sumi speciem essentialem actus, finem autem adjunctum esse circumstantiam.

XLIII. Ratio et fundamentum hujus ex supradictis sumitur præcedentis disputationis. Nam objectum est principium formale specificans, id enim nomine objecti appellamus. Finis autem in quantum finalizat, et non in quantum objectum solum est causa movens ad agendum. Unde non pertinet ad ipsum sub ratione finalizantis specificare, sed movere, seu allicere agens ad agendum. Et sic causalitas ejus pertinet ad exercitium, et productionem rei, non ad specificationem, et constitutionem. Productio autem respicit in effectu existentiam, seu esse, non specificationem, et essentiam: sicut eodem modo se habet ut circumstantia, sicut ipse agens, seu efficiens, quia agens in agendo a fine movetur. Quare nisi finis trahatur ad rationem objecti, sed pure maneat in officio finalizandi, non dat speciem primam, et essentialem actus. Et quia in actu intentionis, qui etiam vocatur actus imperans, seu actus interior, finis se habet ut objectum, quia illo actu non attinguntur directe media, quod pertinet